



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Provincia Poloniæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67721)

ginta quadraginta annos abstinerant sacris, sex & triginta numerati sunt. Duo de quadraginta partim infantes, partim adulti baptizati sunt. Plurimi turpitudine relicta, & incestis moribus, ad meliorem honestioremque vitam conuersi. Ceterum quod magna cautione, & circumspicte admodum hic agendum sit, nihil magnopere occurrit quod non vsitatum: Sed illa quidem quae vsitata sunt, dum crescunt indies augenturque fructus, plures operarios requirunt.



PROVINCIA

POLONIÆ.

NUMERAVIT hæc prouincia locis tredecim, socios nonaginta quinque supra ducentos, è quibus Sacerdotes centum & vnus; Magistri Sacerdotes viginti duo; non Sacerdotes vndeuginti; Scholastici vnus & sexaginta; Coadiutores sexaginta octo; Nouitij triginta sex. Omnes vna domo Professa, quatuor Collegiis, vna domo Probationis, quatuor Residentiis, ac totidem Missionibus continentur. In Cracouiensi domo Professa numerantur viginti vnus; In Collegio Posnaniensi quinquaginta duo; In Calisiensi duo supra sexaginta; In Lublinensi triginta sex; In Iaroslaiensi triginta & vnus; In Residentia Leopoliensi tredecim; In Gedanensi sex; in Torunensi octo; In Sendomirensi vno missus; in Missionibus in Aula quatuor; In Volunia duo;

in

in Moschouia totidem: per Prouinciam tres. In
domo Probationis Cracouiensi versantur qua-
draginta & octo. Admissi in Societatem viginti
duo, mortui tres.

D O M V S P R O F E S S A
C R A C O V I Æ.

N VNOVAM hic deest de proximis bene-
merendi occasio, aulâ regiâ, totoque ter-
ritorio auxilia à nostris auidè expetente. Nec de-
fecit opera feruorque nostrorum: nimirum sexa-
ginta octo ab hæresi ad Ecclesiæ gremium addu-
cti sunt, in quorum numero fuit magnus Dux
Moschouix Demetrius, qui olim pæne adhuc in-
fans, patre simul & regnò orbarus, vt Tyranni,
necem sibi meditantis, manus effugeret, in reli-
gioso quodam Græcorum domicilio inclusus,
clam à suis nutritus, & ad iustam vsque ætatem
seruatus est. Interim vnus è proceribus, pridem
regno inhians, sublatum è viuis heredem omni-
no ratus, rerum potitus est. Princeps porro, iam
pæne vigesimum & amplius annum agens, de
omnibus à suis nutritiis probe, pleneque instru-
ctus, clanculum ad quosdam Regni Poloniae
Proceres, auxilia petiturus, se recepit: apud quos,
Deo negotium promouente, auxiliares copias
haud difficulter obtinuit. Ergo cum simul iter
& prælium pararet, antiquius nihil habuit, quàm
vt sibi, in tam arduo negotio, Deum faceret pro-
pitium. Quocirca de suscipienda religione Ca-
tholica serio cœpit cogitare, & ne in eiusmodi
actu à suis Mossis aliquo modo notaretur, & Ca-
tholicus

atholicus in suo Regno, Schismatis alloqui tenacissimo, temerè diffamaretur; obrecto vultu, & immutato habitu, vno è proceribus Polonis noua pœnitentiæ socio adscito, mendicum simulat, & per domos stipem rogans, ad nostram vsque domum perducitur; vbi detectus, magno cum dolore coram vno è nostris, quem sibi delegerat, peccata totius vitæ deposuit, schisma abiurauit, Romanæque Ecclesiæ magno cum affectu, & animi alacritate sese adiunxit. Nec vero his contentus, postmodum ab Illustrissimo nuntio Apostolico, hic in eadem vrbe, clanculum & sacramento Eucharistiæ pastus, & simul sacro Chrismate, in suscepta Religione confirmatus est. Magnam sane Princeps hic spondet cum ætate virtutem, & in suscepto proposito constantiam, atque ad propagandam Catholicam religionem mirificè videretur animatus. In exteros ista Charitatis impensa officia. In domesticos non minora. Occasionem præbuerunt hæretici complures. In his femina quædam, media pæne ætate in Arrianismo transacta, Baptismum aliquando expetiit; quem, cum hic Cracouiæ in quodam templo, à nostris directa, susciperet, à Dæmone se vi retrahi, catenisque ipsius quasi sensibiliber, ingenuè fatebatur: susceptoque Baptismo, quasi in lucta cum dæmone defessa, in terram semimortua concidit, & postmodum velut è somno euigilans, Deo supplices preces pro gratia Baptismi palam obtulit.

QVÏDAM dum Ministrum hæreticum energumeno nullam opem adferre voluisse, nec potuisse, ipsius confessione cerneret, & facile à Catholico Sacerdote adiutum videret, abiecta hæ-

refi quam à pueritia imbiberat, Catholicæ religioni vltro manus dedit. Alius quidam in sua fecta obstinatissimus, dum ad cænam Sacramentalem suorum se præpararet, noctu per quietem vidit Christum è cruce pendentem, & protensa vna manu in cælos, pro se preces ad Deum Patrem fundentem, seque serio monentem, vt ad priora, si sapere velit, redeat: Euigilans ille mutatus totus, & lachrymis madens, recolligensque se, recordatus est aliquando se Catholicum fuisse, suspicansque illud Christum intimasse, nostros conuenit, & Christo moneti se auidissime aggregauit. Neque Catholicis hoc anno Nostrorum insignis opera defuit. Multorū animi discordes conciliati, in his multi Magnates, ex quorū discordia vti multorum timebatur cædes; ita ex conciliata amicitia, multorum salus, & bona non pauca speranda. Quidam confessionis causa sexaginta leucarum iter suscepit, & quadraginta annorum peccata accurata confessione expiauit. Femina per scelus grauida, vt infamiam effugeret, mortem meditata, ex loco præalto se proiicit, sed illa serua ta, subito ad Confessarium vnum ex nostris accurrit, cuius opera, & à scelere soluta, & à mœrore & anxietate omnino liberata, & ad infamiam patienter ferendam est animata. Fuit altera lethali laborans partu; hæc dolorum impatiens, laqueo remedium sibi quaesuit (suatu vt fatebatur diaboli, sensibiliter sibi apparentis, & laqueum offerentis) in quo adhuc viua reperta, viribus non nihil collectis, scelus detestata, sacramentis per nostros munita, è faucibus inferni ad paradisi ianuam reducta est.

V I R quidam nobilis à nostra Societate alienissimus,

nissimus, cum in morbo quodam vsu linguæ penitus amitteret, per signa vnum è nostris pro Confessione obnixè expetit: nutibus confitetur, absolutus (mira res) lingua in verba soluitur: itaque nonnihil collectus, magno cum doloris sensu confitetur. Usurarij aliquot insignes ad fugam reuocari, ex quibus vnus multos centenos pauperibus libenter restituit. Fuerunt & missiones aliquot ex hac domo, non infructuosa, instituta. Itum est ad quoddam Monasterium Monialium, vbi præter Confessiones & exhortationes quotidianas, septem Monialibus Exercitia spiritualia cum fructu sunt exhibita. Nec in externos modo, verumetiam in nostræ Societatis homines, huius domus charitas hoc anno enituit. Cum enim circa finem huius anni, quidam seditiosi Hæreticorum tumultus in Vngaria fuissent exorti, & nostri Patres inde in vicina loca dilapsi, Cassonia (quæ est viginti sex leucis ciuitas à nobis sita) huc ad nos aliquot confugerunt, qui non tantum ab hac domo cum Religiosa charitate per multos dies habiti, verumetiam cum magna compassione à proceribus excepti & recreati, insuper à Serenissimo Poloniæ Rege, & aliis Nobilibus Regni, bene viaticis instructi ad instantiam R. P. Prouincialis Austriæ, Olomucium remissi sunt. Ipsi quoque fluctuanti Vngariæ, interea aliquo non defuimus præsidio. Illustrissimo enim Cardinali ipso præsentente, & negotium sanctum strenuè promouente, oratio quadraginta horarum in nostra æde pro salute illius Regni, magno cum populi concursu & deuotione instituta, & transacta fuit. Est etiam hoc anno Domus hæc vno Sacerdote P. Ioanne Matthiæ, diminuta: qui pæne

togenarius, vitam hanc morbo leui, & non diuturno finiuit, homo alioquin virtutis & exempli singularis, indefessus in seruiendo proximis operarius, totis diebus, etiam gelante cælo, confessionali affixus, in nulla re sibi parcens, vt tantummodo necessitati proximi succurreret. In peruiugio omnium Sanctorū cum ad noctem vsque in templo aures pœnitentibus præberet, domum rediens, iuxta suum officium, etiam post examen domesticis nostris audiendis operam non denegauit. Qua ipsa nocte plenus etate & meritis, ex hac vita ad illam beatorum fœlicitatem æternam commigrauit.

D O M V S P R O B A -
T I O N I S C R A C O V I E N S I S .

EX ijs qui à sæculi vanitatibus in Religionis portum se receperunt, vnus insignior vocatio fuit. Is in Germania, hæreseos peste infecta, natus educatusque, post studium Philosophiæ, in qua Magister ab eis creatus est, & iurisprudentiæ per biennium ibidem traductum; cum in Cardinalis Bellarmini Controuersiarū libros incidisset, nostrorum Patrum, propter miram eruditionem captus amore ac desiderio, in Prusciam vsque venit, & post aliquantam ibi consuetudinem cum nostris, mox Ecclesiæ Catholicæ nomen dedit, & sacris initiatus biennio curā gessit animarum. Et vero ratus se perangustā zelo suo prouinciam obtinuisse, in Societatem IESV admitti ardens exoptauit; admissus, magno cum animi sui gaudio in ea versatur, Patrum Veteranorum labor fuit, in excipiendis

cipiendis confessionibus, in adeundis infirmis, & morientibus adiuuandis; potissimum autem in tradendis Exercitiis, quæ hoc anno intra nostros parietes, plusquam sexdecim externis illa petentibus sunt communicata. In his Regulares S. Augustini, à Reuerendissimo suo Præposito huc directi, egregiè exculsi. Vnus item sæcularis Prælat, cui Abbatia à Serenissimo Rege offerebatur, ultra duas hebdomadas, in hac domo se colligens, illi tandem Abbatia renuntiauit: & opulentum quidem, sed onerosum munus generosè detrectauit. Verum inter hos præcipuum locum tenuit Reuerendissimus Luceoriensis D. Martinus Szyskowski, recens in Episcopum illius diocesis electus. Is, vt humeros viresque melius oneri aptaret illi, ipsis Bacchanaliorum diebus ad nostram domum commigrauit: in qua ultra mediam quadragenarij ieiunij partem, spiritualibus commentationibus, optato fructu vacauit. Per familiare huic Reuerendissimo est, cum Nouitiis nostris magis intime conuersari, illos in templo communicare, & subinde in Refectorio vna cum illis prandere.

SINGULARIS, Dei beneficio, Nobilium Ciuumque in nos fauor; præsertim cum videant in templo nostro rem diuinam crescere. Studio siquidem parochi noui, & liberalitate proborum, horæ B. V. Mariæ in sacra nostra æde à Paschate decantari cœptæ, vna cum sacro de eadem Deipara, Genoroso D. Martino Dobroszewski Dominus huius benefactore eximio, Dei matrem tali obsequio honestante. Est & Sodalitas B. Ursulæ, à ducentis pluribus annis erecta, sed incuria quorundam neglecta, rursus excitata, suoque

flori opere nostrorum in nostro templo restituta,
 & liberalitate Illustrissimi Nuntij Apostolici Re-
 uerendissimiq; Episcopi Cracouiensis munificētia
 aucta firmataque. Pixis argentea prægrandis, ad
 distribuendum populo sanctissimum Sacramen-
 tum, ex piorum liberalitate Ecclesiæ accessit,
 Domesticis necessitatibus nostris prouidentia di-
 uina non defuit, quamuis enim non exigua dam-
 na in nostris bonis passi fuerimus, ea tamen com-
 pensauit Dei benignitas; nam & frumenta hoc
 anno copiosius in prædiis, quam vnquam antea
 creuerunt, & domui accesserunt bis mille septin-
 genti & vltra floreni.

C O L L E G I V M P O S -
 N A N I E N S E .

EX fratribus coadiutoribusque vnus Lucas
 Bochleuiensis, annos natus circiter quadra-
 ginta, cum, reliquis ob pestilentiaē labem disper-
 sis, in Collegio mansisset, eorum Patrum socius,
 qui infectis operam nauabant, vita discessit, pe-
 ste in eum defœuiente. In eo præter egregiam in
 alios charitatem, & sui muneris opera alacriter
 præstita (cocum enim cum alio præterea officio
 agebat) singulare orationis studium enituit. Cer-
 te cum ei iter alios superior denunciasset, eum in
 Collegio tempore pestis remansurum, sine vllō
 prorsus renitentis iudicij signo paruit, & à fra-
 tribus abeuntibus, nihil aliud præter orationes,
 quibus inquebat, in morte ob pestem instante
 plurimum indigebo, postulauit. Ex studiosis ex-
 ternis hoc anno nongentos circiter habuimus;
 nec

nec pauci inter illos Senatorum Regni, ac Primariorum nobilium filij. Præcipuum ij, qui in B. Virginis Sodalitium maiorem & minorem ascripti sunt, Christianæ pietatis laudem ferunt. Dederunt sui specimen ingenij non contemnendum hoc anno studiosi nostri, in quodam Drammate pugnam cum Hæresi continente, quod tantopere hæreticos affecit, ut priusquam in Theatrum daretur, eorum Pseudo-ministri grauiissime suis interdicerent, ne quis ad illud spectandum accederet. Secus tamè quam illi volebant contigit. Acta enim res & magno apparatu, & ingenti ciuitatis cõcurfu. Apparuit etiã in vno, hæretici cuiusdam filio, egregia in Religione Catholica suscepta constantia; is enim à parente primum minis deinde verberibus, dum ad ieiunium Ecclesiasticum frangendum adigeretur, ita fortem se exhibuit, ut ne tantillum ob parentis feritatem à Catholica consuetudine decederet; cum autè parens minaretur se eum ad scholas hæreticorum daturum, stipe potius emendicata, respondit filius se vitam toleraturum, quam in ea re ei obsecundaturum.

NON contemnendam hoc anno tum erga templum nostrum, tum erga Collegium munificentia varij declararunt: nam & templi suppellex insigni quodam conopœo, ab Illustrissimo & Magnifico maioris Poloniae Generali donato, & mille florenis estimato aucta est, & eleemosyna in sola pecunia Collegio data, ad mille fere florenos peruenit. Dispersio nostrorum in varia loca ob pestilentiam facta, per illum bonorum omnium opificem felicem successum habuit. In omnibus enim locis, in quibus commorati sumus,

ranta animarum auxilia secuta, tanta variorum erga nos, ob labores pro salute proximorum susceptos, beneuolentia conciliata, vt non in dispersione, sed in optima missione nos omnes fuisse arbitraremur. In primis enim nostri Scholastici Theologi cum suis Professoribus commigrarunt Vagrouecū exeunte Augusto, ibi ab Abbate (eius enim est id oppidum) & à Religiosis ordinis Cisterciensis amicissime excepti, & cibariis bimestri spatio humaniter & copiosè tractati sunt. Hic supra quotidianos Theologiæ labores, obita-visitata Societatis nostræ munera, in proximorum salute procurandā: Religiosi illius Monasterij præceptis Dialecticæ, & Casuum instructionibus successiuus horis instituti. Deinde Vagroueco peste infecto, ad quoddam prædium nostris iterum commigrantibus, in eodem eadem fere omnia munia Societatis fidelissime administrata. Idem ab aliis nostris in alio prædio commorantibus factitatum, & multa continuis excursionibus ad vicina loca, Confessionum & concionum causa, spiritualia emolumenta facta. Hæc tamen omnia ita sine studiorum altiorum iactura acciderunt, vt vix solis tribus diebus in commigrationibus consumptis, lectiones intermissæ fuerint,

I A M Obornikos, quod oppidum non multū Posnania distat, dum nostrorum quatuor commigrassent, cum aliquot seminarij diocesani alumnis, statim ad eos septuaginta studiosi inferiorum scholarum confluerunt, in quorum gratiam à tribus Magistris lectiones institutæ, deinde pro incolis, singulis festis ac Dominicis diebus, tum matutinæ conciones habitæ, tum pomeridiano tempore Christianæ doctrinæ rudimenta explicata:

explicata: ad quã ita multi agrestes afficiebantur,
 vt certatim post finem impositum, ad Patrem ac-
 currerent, petentes vt litem dirimeret, qui melius
 ex illis signum S. Crucis efformare didicisset, de-
 posita ad id sponse & pecunia. Promulgatæ
 ibidem indulgentiæ pro nostrorum Missionibus
 à Pontifice Maximo concessæ, quas plurimæ se-
 cutæ sunt confessiones. Supplicatio quadraginta
 horarum pariter instituta ad pestem auertendam,
 & diuerberationes voluntariæ à Parthenica so-
 dalitate susceptæ. Quibus omnibus illo in oppido
 nunquam ante visis, mirum quantum amorem
 sui, nostris concitarent, non tantum Ciuium, ex
 quibus Consul nomine omniũ ob id gratias egit,
 sed etiam Domini illius oppidi ante nobis vehe-
 menter infensi. Ibidem è S. Francisci familia Pa-
 tres omnia humanitatis officia nobis exhibebant,
 & vt in eorũ templo concionaremur, tum alias, tũ
 in festo die, auctori & parenti Ordinis consecrato.
 PRÆTER hæc, occasione eiusdem pestis, in-
 stitutæ à nostris nonnullæ Missiones, sed ea præ-
 cipuè erat, quæ in oppidum Marchiæ vicinum,
 Tucznum nomine, in finibus Poloniæ situm facta
 fuit. Ibi egregiis nostri Patres laboribus, id tan-
 dem Dei beneficio effectum est inter cetera, vt &
 centum octoginta hæresim abiurarint, & oppidũ
 ita purgatũ hereticis maneat, vt nulli amplius ni-
 si Catholico in eo pateat locus ad commorandũ:
 tali decreto per ipsos Ciues magna animorũ con-
 fessione factõ, & postea ab ipso oppidi Domino
 approbato. Ingens de tanta animorum & fidei
 mutatione lætitia peruasit omnes, ac proinde de-
 signatus dies ad gratias Deo publice persoluen-
 das, & diuinũ corporis Christi epulum suscipien-
 dum,

dum, vitæ noxæ prius confessione deletis. Habita igitur integra hebdomada conciones Catechisticæ, ad ritè obeundū pœnitentię Sacramentū, tri- dum deinde confessionibus darum, quæ in mul- tam noctem producebantur. Vt dies constitutus illuxit, frequentes in templum conueniant, & cum maxima significatione pietatis, rei diuinæ interfunt, post corpore Christi refecti, oppidi Do- mino cum sua vniuersa familia præeunte; cum hymno, Te Deum laudamus, actus hic finiretur, mirum quantam lætitiã internam, manantibus lachrymis ostenderint.

A C T V M ibidem cum multis ministris priua- tim, ex quibus tres conuicti manus dederunt: ex his vnus erat, qui Bransbergæ quondam in Col- legio Societatis I E S V Philosophiæ operam de- derat. Hic post multas cum Patre concertationes, tandem gemebundus errorem agnoscens, illud obnixè petebat, curaret noster, vt in ijsdem lo- cis degere sibi liceret, quo facilius incolas sua opera seductos, suo patiter exemplo ad meliora promoueret. Alter similiter ijs, quæ à Patre dice- bantur, tandem assensus, filium suum apud Ca- tholicos educandum eidem tradidit. Adibat alios Pseudoministros Pater ex improviso, id enim illis in locis ad eos confundendos necessum erat. Sed vel fuga sibi consulebant; vel dæmonio multo freti, nihil omnino loqui volebant. Vnus erat ce- teris audacior, qui Iesuitas nihil se facere iacti- tabat, cum hoc Pater publice congressus est, fecitque vt manifeste fateri cogeretur, se nihil contra dicere posse. Non pauca alia in eadem Missionè facta, bis instituta oratione quadragin- ta horarum, indulgentia promulgata, certo ludi-
magistro

magistro pro doctrina more nostro tradenda constituto, & concionibus sapissimè habitis. Non deerant aliæ Missiones cum fructu non pœnitendo, & inter ceteras Pobiedzifensis, in qua à Patre nostro (qui ibi Indulgentiam promulgarat, trecentæ totius vitæ Confessiones exceptæ, & intra quatuor dies, quater mille homines diuinissimo Eucharistiæ Sacramento refecti.

NON minor ab iis fructus, qui in Collegio grassante lue morati sunt. Cum enim alij Sacerdotes circa salutem proximorum ministeria tunc reformidarent, nostri domos infectas nullo discrimine obibant, tintinabulis signo adhibito, ut quicumque confessione indigerent, euocarentur, unde tanta accurrebat multitudo, ut vnus nostrum breui tempore mille infectorum confessiones exceperit: nec vero conciones diebus festis prætermittebantur. Iam ex ijs, quæ & domi & foris in variis Missionibus circa hæreticos acta sunt, eum effectum habebant, ut eorum qui hoc anno ad Ecclesiam redierunt, numerus ad ducentessimum quadragesimum septimum peruenerit. Inter hos vnus erat Nobilis octogenarius, qui fere rotam vitam in hæresi consumpserat, hic in morbo extremo, monitis nostrorum, tandem venenum Caluini eiecit, & breui post etiam in corpore conualuit. Alter itidem octogenarius ad nostros in Missionem Obornicensi manentes, cum alia ex causa venisset, & in illo oppido in grauem morbū incidisset, ab hæresi, & à peccatis per nostrū absolutus, spei plenus vitæ cursum absoluit.

QVIDAM etiam Magnus Lutheri & Philippi Melancthonis discipulus quondam Catho-
licus

licus ille quidem spem, semper tamen de heresi suspectus, ita circa mortis articulum opera vnus è nostris adiutus est, vt præter confessionem ter diligentissime factam, sæpius protestaretur se mori in fide Catholica, quia vero de inuocatione Sanctorum maximè ambigebat, ideo tunc totus erat in patrocínio implorando tum B. Virginis tum Patroni sui, & Sanctorum aliorum. Curatum etiam est per vnum è nostris diligenter, ac per Dei gratiam effectum, ne vel in Senatu Ciuitatis Posnaniensis locum hæretici habere possent, vel funebria aut matrimonialia eorum conuiuia, ibidem Catholici sua præsentia cohonestarent. Duo etiam Iudæi studio nostrorum hoc anno Sacramentum Baptismi susceperunt, Vnus cum vxore & duobus filiis, quorum Baptismum solemnitas ipsa (ab Episcopo enim, præsentibus pluribus Illustrissimis viris peragebatur) tum totius ciuitatis insolitus quidam applausus exornauit. Cum autem breui post, vnus filiulus huius Baptizati è fenestra superiori domus, casu lapsus esset, & ad lapides allisus expirasset, adeo generoso animo casum hunc pertulit mæstus parens, vt Christianæ fortitudinis recens, ac viuum exemplar in eo facile agnouisses. Elatum postea eiusdem pueri funus ab omnibus religiosis, & à tota ciuitate magno compassionis sensu. Baptizatus & alter Iudæus, vxore, in perfidia manente, reiecta. Hæreticus quidam ex Brabantia casu in Poloniam deueniens, (ad quem salutaribus aquis regenerandum, vnus ex nostris euocatus erat) inter cetera illud referebat, se post baptismum summæ tranquillitati restitutum, nec amplius dæmonum plagis, vt antea, obnoxium: imò

nec

nec se grauiter laturum, si per parentem hæreticū omni hereditate priuetur, aperta sibi per baptismum hereditate ampliori.

NON deerant etiam nostri pauperibus: imminente enim peste, quadringenti floreni pro eis ab Episcopo impetrati, & in ipsa peste, vndecunque eleemosyna corrogata, trecenti pauperes adiuti, triginta tres præterea in fimo per plateas miserabiliter iacentes, ad honesta Xenodochia delati. Multi etiam grauissimorum dissidiorum incendia (quæ Dei gratia) sunt extincta; præcipua erant inter Senatum Posnaniensem & quosdam religiosos, & inter Magistratum Arcensem & totam ciuitatem: cum enim quidam Arcensis famulus in Consulem sclopetum explosisset, & tota aula Episcopalis maioris Poloniæ id approbare videretur ob quædam odia; resque ad grauem tumultum vergeret, cura vnius nostri, eò generalis Capitaneus, alia omnia aliis expectatibus, deductus est, vt sponte famulum ad veniam postulandã, & certam pœnam subeundam, ad Senatum ciuitatis miserit. Omitto varios à maleficiis, & turpi corporis quæstu, ac teterrimis vitiis abductos, & vnū, cui quinque pellices detractæ, ac alios à spectris dæmonis liberatos. Illud singulare cuidã personæ suasu nostri euenit; cū enim à spiritu blasphemix perpetuo vexaretur B.P.N. & B. Stanislai Kostka inuocatione, subito illa tanta molestia disparuit: Exercitiorum spiritualium vsus in hoc Collegio per Dei gratiam frequens est, & inter quosdam religiosos, hoc anno Abbas quidam ijsdem excultus magno cum fructu. Confraternitas misericordiæ, instinctu nostrorum, felix hoc anno initium dedit Processionibus in die parasceues,
cum

cum sacrorum & prostrationum usu variis in templis, quæ eis nunquam antea Posnaniæ visa; præcipua quæ tunc erat Nobilitas maioris Poloniæ, eam Processionem non sua tantum præsentia exornauit, sed etiam dicte Confraternitati se adiunxit. Hanc ipsam Processionem Confraternitas, ut vocant Chordigerorum deinde æmulata, id ipsum exprimere in omnibus voluit.

COLLEGIVM CAL- LISSIENSE.

A VCTO nostrorum numero, non sine diuina ope, aucta quoque sunt pietatis opera. Cum enim Collegium hoc teneret socios sexaginta duos, elaboratum est ne qua deesset cura in proximorum salute, ad Dei laudem promouenda. Et ut ab eis, quos intimos, magisque nobis familiares habemus, incipiam, à iuuenibus inquam studiosis, curæ nostræ commissis: Hi ut frequentes, ita pietate feruentes, non exigua nostri laboris dederunt exempla, sed præcipue Sodalitas Parthenia, cuius numerus adeo excreuit, ut noua colonia deducenda fuerit, minori Congregatione instituta à Reuerendo Patre Prouinciali. Et quia hætenus consuetas exercitationes, scholarum parietibus inclusi non sine incommodo agere cogebantur; hoc anno ad noua Oratoria illorum duntaxat functionibus consecrata, nõ sine celebri pompa: illustriq; apparatu commigrarunt. Ibant sacris reliquiis Sanctorum onerati, cereis accensis & suaui adhibito concentu. Instituerunt ijdem edificationis plenam Processionem, quatuor à ciuitate

te

te millibus passuum, D. Virginis deuoti per celebrem; vbi iucundum erat videre, non ipsos tantum Sodales agmine composito, globulis precariis pensum B. Marię Virgini persoluentes, verum etiam alios comites externos illorum facta æmulantes.

HÆC quasi domestica: ab ijs vero non pœnitendus relatus est fructus, qui domi forisque in remotioribus nauarunt operam. Supra trecentos auditi sunt, qui ex ea ætate, qua primum sapere cœperunt, patefecerunt culpas. Retracti ab hæresi quadraginta quinque. Inter hos quidam Nobilis in errore enutritus, tanto feruore Orthodoxam fidem amplexus est, vt neque Hæreticam vxorem habere voluerit: neque vllis paternis minis induci quominus, in Ecelesiæ facie matrimonium cum Catholica iniret. Idem subditos suos totamque aulam Sacramentorum vsu carentem, cum Deo reconciliari vnus è nostris opera fecit. A superstitionibus & veneficiis abstracti quinque, à debacchationibus insolentibus plures: nam cum præter morem superiorum annorum illo triduo magno apparatu, à quibusdam vtriusque sexus institutæ fuissent laruatorum petulantia, missus est ad Magistratum Sacerdos noster, qui rei turpitudine demonstrata, effecit, vt pœna à Magistratu assignata nefarium consilium dissiparetur. Itum & ad vicina loca, sacro præsertim Natalitiorum Domini, & Pâschatis tempore. Duo Sacerdotes profestis Natalitiis Crotonum euocati, singulis diebus binas conciones habuerunt lingua Polonica, binas item Germanica, magna hominum frequentia, & tanto ad Sacramenta concursu, quantus nunquam
antea

antea fuerat ibi visus, à tempore quo Hæresis inde exulare cœpit. Sex Ecclesiæ redditus, inter quos matrona quædam Nobilis annorum quinquaginta, cum qua multum diuque fuit laboratum, antequam daret manus, sed tandè Deo disponente celsit, & mox Sacramentis munita, datis prius egregiis pietatis ac religionis argumentis, è viuis excepit. Inter duos Ciues illius oppidi graues inimicitia sopita.

In iis etiam qui nostrorum opera, siue consilij siue Confessionis gratia vsi sunt, non defuerunt aliqua quæ miraculi speciem præferrent. Nam virgo quædam, cum ex vno in alium mercaturæ gratia perficisceretur locum, de curru ex improviso lapsa, collum fregit. accurrunt extemplo amici, varia adhibent medicamenta, quibus cum nihil proficerent, ad Deum in preces, & patrocinium matris eius concurrunt. Res mira, ter repetito nomine Iesu & Mariæ, atque voto peregrinationis Czestochouiam, cum magna fide & spe facto, ad se virgo redijt statim, cum vna & amplius hora sine sensu iacuisset. Duæ item virgines, diuersis tamen temporibus & locis, vt virginitatis decus tuerentur, è suprema ædificij, factis in altum porrecti, parte profiluerunt, vitam ob pudoris ornamentum in periculum adducentes: Sed ecce, dum in præceps adactæ ruunt, nomenque Sacrosanctum Iesu & Mariæ inclamant, periculum omne, multis admiratione detentis, euadunt; ne minima quædam læsionis nota relicta. Duæ etiam Virgines adulta iam ætate, superato minarum terrore, ac sæuitia flagrorum, quibus dire à parentibus, eo quod ad Catholicam religionem propenderent, frequenter tractabantur

ctabantur, Hæresim abiurarunt, atque vt Deo se magis adstringerent, domo paterna relicta, in alienam Prouinciam secesserunt. Harum alteri memorandum sane quid accidit; in itinere incidit in quendam, qui castimoniam virginali afferre vim aggressus est, restitit illa fortissime, diuino desuper auxilio, petito, ad pedes inuasoris prostrata in modum crucis sese abijcit, per Deum ac Sanctos eius obtestatur, obsecratque cum lachrymis, a cœptis desistat. Attonito similis ille, & velut exanimis, derepente mutat consilium, collachrymantem de terra leuat Virginem, iureiurandoque fidem obligat, se fore acerrimum Virginitatis ipsius defensorem. Facti veniam suppliciter petit. Denique omni humanitate declarata, Virginis consilium cognoscens, ad eum locum, quem ipsa intendebat, integram & illasam, suo curru & sumptu, deduxit aliquot dierum itinere.

A d extremum, fatalis etiam hic annus nobis fuit, morte optimi Præsulis, & longiori vita dignissimi, qui Illustrissimo Fundatori nostro, non minus in Archiepiscopali dignitate, quam in paterno erga Collegium hoc, & vniuersam Societatem nostram affectu, successisse videbatur. Sed vix quinto mense sedem Archiepiscopalem ascenderat, cum ad magna Reipublicæ & Ecclesiæ commoda, fabricamque Collegij nostri perficiendam, sedulo curam & cogitationem adiecerat, quando nobis cum magno omnium dolore, & mortalis conditionis exemplo ereptus est. Ita tamen animo dispositus, & cum tanto rerum humanarum, & vitæ præsentis contemptu in manu Domini resignatus, vt non in aulis Regum tam multum diuque versatus, quam in Religio-

forum hominum cœtu educatus videretur. Illud autem peropportunum illi accidit, quod P. Rector Collegij, qui paulo ante ipsius morbum, ad constituendas Collegij rationes, ab ipso per litteras euocatus fuerat, superueniret tunc cum altero Sacerdote, ipsique infirmo & morienti adesset, Sacramentis muniret, & reliqua debita pietatis officia exhiberet. Legauit moriens Collegio nostro florenos mille, qui statim redditi sunt: petitusque Sacerdos noster, pro funebri concione, adfuit. Studiosi quoque Collegij nostri rogati, ut vario genere, & ornatu carminum, pompam funeris cohonestarent, sicut & eiusdem ingressum in sedem Archiepiscopalem, lætiori calamo non multo ante cohonestauerant, liberaliter fecerunt.

C O L L E G I V M L V B -
L I N E N S E .

VITA decessit hoc anno P. Procopius Pruchnicki; reliquorum in curanda sua, proximorumque salute non defuit industria, laborque; nam sex circiter, opera nostrorum, à Schismate defecerunt, plures Hæretica labe infecti, auitæ Religioni sunt restituti. Et quidem septem in ergastulum conditis, tanto maiori solatio nostri fuerunt, quanto illi longiori tempore humano consortio, imò etiam communi luce caruerunt, quatuor enim hebdomadis ægrè aliam lucem aspiciebant, quam quæ animabus oboriebatur, dum intra hoc tempus aliquoties delicta sua Sacerdoti patefacerent, & Sacramento Eucharistiæ
contra

contra omnes cruciatus, & ipsam mortem se communirent. Oppido, perfidia hæretica inquinato, & quadraginta annis sacris priuato, Religio restituta: tres Turcæ ad fidem instituti, Mahumetis superstitionem abiurarunt, & in nostro templo ab Episcopo solemniter baptizati sunt. Et quia actus hic inciderat in tempus illud, quo frequentissimo cœtu in Ciuitatem conuenerant, variis ex locis, nobilissimi homines, & Senatus regni Primores: ideo tanto cum spectantium concursu cerimoniam peractam fuit, quantum alium in simili negotio reperire difficile sit.

PORRO quod templum nominauimus, hoc nouum est, & hoc anno primum ab Episcopo Cracouiensi, qui & primarius autor Collegij fuit, consecratum, die D. Ioanni Baptistæ sacro, cuius ossibus nouam Ædem exornauit, vt & munificente dote; nam extracta scheda in pargameno propria manu scripta, honorifica Societatis commendatione præmissa, promisit se intra triennium daturum sex millia florenorum pro ornatu, & fabrica templi. Iam præter solita, quibus quotidie incumbunt iuuenes, litterarum studia, datur etiam opera, ne qua in re ea, quæ Deum eiusque Matris cultum spectant, elabatur benemerendi occasio. Hinc factum, vt alterum Sodalitium Virgini Deiparæ hoc anno dicaretur, vbi iuniores cum maioribus, vel pari virtute certarent, vel saltem exemplo prouocati, paria pietatis opera attentarent. Vnus ex his Societati nomen dedit, decem alij diuersis Religiosorum familiis adscripti. Duo qui recens ad Collegium admissi germani fratres, Hæreticis nati parentibus, Ecclesiæ Sanctæ sunt aggregati.

C O L L E G I V M I A -
R O S L A V I E N S E .

EX nostrorum numero media fere pars fuit eorum, qui tertium Probationis annum peragebant; quocirca horum exemplo, & disciplina domestica exactius seruari, & veteranorum in spiritus profectu feruor, hac etiam ratione haud difficile potuit excitari: in proximorum quoque subsidium sese largius effundebat. Quamuis enim oppidum Iaroslauense non sit apprimè frequens & eelebri: non exiguus tamen ad nostrum templum solet esse hominum concursus, etiam ex locis remotioribus Sacramentorum suscipiendorum gratia, cum isthæc regio ob terræ fertilitatem sit culta, & frequens, nobilesque viri primarij circumcirca non pauci. Itaque etiam Ecclesiastici quamplures pœnitentiæ Sacramenta apud nos frequentant. Notauit vnus è nostris, prope viginti Sacerdotes hoc anno, ad meliorem frugem sese nostrorum ductu recepisse. At vero Episcopus, Iaroslauensibus clericis idipsum commendauit serid, vt non nisi nostris à Confessionibus vterentur: qui & priuatis colloquijs instructi, & pijs commentationibus perpolitati. Templum sacra supellectili auctum; Cimbalo prægrandi ad conuocandum populum præparato, duabusque sacris vestibibus, quæ vulgo dalmaticæ dicuntur, nostræ Principis liberalitate templo attributis, infectaque vestis Attalicæ materia, centum quadraginta nummis aureis nostratibus æstimata, eiusdem munificentia donata. Eiusdem liberalitas

beralitas in pauperes studiosos non vulgaris extitit, quibus sæpius lautum instruxit prandium, & pannum centum circiter aureis æstimatum, iisdem vestiendis donauit. In hospitali egenis ipsa non raro ministrat.

MAGNUM item templo huic redit ornamentum è Sodalitate Parthenia, à qua cum aliàs, tum illo die, quo Redemptoris nostri patientis memoria ageretur, cum solenni supplicatione in multam noctem diuerberationes fuere protractæ, pridie epulum lautum egenis præstitum, pedesque abluti. Duo ad Societatem ex illa admissi. Ceterum cum Patres tertij anni Probationis, per Aduetus Domini & quadragenarij ieiunij ferias, ad loca non solum vicina, sed etiam remotiora, in agro Domini operaturi hinc soleant ablegari, ingens inde in Christi horreum infertur prouentus. Huius generis Missionum primum locum habet ea, quæ ineunte Autumno, à duobus è nostris Patribus cum Magnifico Domino Palatino Sendomiriense, & nouo duce Moschouix in eam Prouinciam fuit suscepta; de qua cum interea nihil præter felicem in Moschouiam ingressum, & nostrorum in iuuando milite laborem, exploratum habeamus, in aliud tempus differre duximus. Diuerterant ex eo itinere ij duo Patres ad vnus ipsorum parentes Hæreticos, nec sine fructu, matris nempe & sororis conuersione consecuta. Iam quo animi ardore, & nostri ad pœnitentiæ Sacramenta milites excitarent, & ipsi id acceptarint, ipsiusmet tum Palatini deprædicatione, tum fructus consecuti vbertas adtestatur.

PROXIMO loco videretur numeranda excursio Zamoscium suscepta, vrgente per Illu-

Zz;

stri

stri viro Ioanne Zamoiski Regni Poloniae copiarum duce generali, & supremo Cancellario, qui cum annis superioribus nostrae Societatis hominibus parum affectus esse videretur, hac deinde occasione nobis beneuolus redditus est, suamque in nos propensionem centum aureorum nummis testari voluit. Illustris porro eiusdem beneuolentiae, extitit argumentum, nostrorum Leopoliensium negotij apud regem promotio, quod quidem, ipso refragante, haudquaquam confici potuisset. Idem nostrorum, in docendis rudibus ijs quae ad fidem, adeo probauit modum industriamque, vt concionibus anteferendum putaret. Instituta aliae complures missiones, in quibus omnibus illud inprimis, quae concionibus, quae priuatis cohortationibus est perfectum, vt populus ad virtutum studium, & Sacramentorum frequentationem induceretur, non segniter. Huius rei vel ipsae generales confessiones erant euidentis documentum. Certè ex sex millium hominum confessionibus, quas nostri in varijs locis exceperunt, media propemodum pars fuit generalium. Hinc non exiguus consecutus est fructus: & ne singula percenseam, in aere alieno tum restituto apparet satis: fuerunt siquidem viri grauissimi, praecipueque nobiles homines, qui à nostris de contractibus faeneratijs edocti centum, ducentos, quin & bis mille aureos, prompti admodum veris Dominis persoluebant. Magistratus quoque ne tales deinceps inirentur, se inuigilaturum ferio est pollicitus. Inter multos graues inimicitiae ita sunt restinctae, vt nonnulli, post nostrorum de amore mutuo habitos sermones, in ipsis templis palam in mutuos complexus ruerent

rue-

rent, magna omnium admiratione : numerati tales sexaginta sex, qui mutua odia deposuerunt: viginti nouem Coniugum paria, inter se dissidentia, reconciliata. Mariti à pellicibus abstracti, vxoribusque propriis restituti quindecim: duo paria specie matrimonij vitam impuram sectantium hominum legitime copulata. Meretrices ab infami corporis questu, ad publicam pœnitentiam inductæ nouem: superstitiones, iurandi, maledicendique consuetudines sublata. Veneficia vt abiuraret quædam mulier, effectum: duæ aliæ ab ijs abductæ: à dæmonum vexatione, pœnitentiæ Sacramento, tres liberati. Non pauci alij eodem remedio adiuti, & ægri pristina valetudini restituti.

INSTITVTÆ quoque sunt in quibusdam oppidis, die Parasceues, solennes supplicationes, in quibus in corpora supplicantium sæuitum est, cuius ipsi sua corpora acriter diuerberantibus, & egenorum pedes abluentibus. In alio loco supplicatio Indulgentiarum consequendarum causa, per nouem passuum millia obita, magna hominum caterua, & præcipuæ nobilitatis processibus pedes iter conficientibus; cui ipse Dux exercitus Regni facile princeps interfuit, & pronus humi procubuit, quibusdam in corpora sua sæuiantibus. Alibi Sodalitates Deiparæ olim neglectæ, pristino restitutæ vigori. Templorum mundities introducta, & Catechismi continuatio ludimagistris persuasa. Longum esset singula persequi. Illud certe non debet omitti, triginta duos circiter, hæresi abiurata, ad Catholicæ Ecclesiæ gremium rediisse; viginti octo Græcorum schisma reliquisse; duos Iudæos aquis salutaribus ab-

lutos; Schytas quatuor, Turcam vnum Ecclesie restitutos esse; à desperationis & proprii interitus periculo quatuor liberatos. Cetera fere cõmunia.

REIDENTIA LEC- POLIENSIS.

QUOTIDIANA, assiduaque nostrorum circa proximos hoc in loco opera, tulit fructus nec vulgares nec exiguos, si operantium paucitatem spectes. Octodecim ad S. Romanæ Ecclesie gremium redierunt, septem Schismatici, vndecim alij hæretici. Innumeri pæne è cœno flagitiorum, in quo multos deliruerunt annos, cælesti Confessionis ope emerferunt; & qui totius vitæ maculas exomologesi expurgarent, quatuor & quadraginta supra centum reperti sunt. Duo è primariis Ciuibus, quorum alter Consulari dignitate gaudebat, eò mutuis dissidiis simultatibusque progressi, vt capitales hostes facti, alter alterius vitæ insidiaretur: sed opera nostrorum adiuti, inimicitias vtrimque positas, ad pacem & concordiam, mutuis amplexibus, lætabundi redierunt. Duorum hominum iusignis conuersio obrigit, è quibus vna erat Nobilis femina, ea cum chyrographo dato se Cacodæmoni deuouisset, facinoris atrocitate post detestata, Pœnitentiæ Sacramentalis precio se rursus in libertatem vindicauit. Alter vero enormi quodam crimine admissio, immemor Dei & nature, ipse sibi vim manusque inferre decreuit, iamque se, laqueo ceruice inserta, pendulum demisit; cum ecce boni viri vnus interuentu præpeditur, atque egregio

gio hortatu in spem salutis, & veniæ à cælesti numine obtinendæ erectus, exacta Confessione, & digno tantis facinoribus dolore, perpetrata defleuit: atque ita ingenti suo bono, Dei autem prorsus ineffabili, plenaque miserationis bonitate, corporis ynâ & animi interitu est liberatus.

RESIDENTIA GEDANENSIS,

POST diuturnam Hæreticorum, quibus cohabitamus, resistantiam, experimur tandem, diuina opitulante gratia, animos eorum non parum erga nos emolliōs, multumque familiares; alloquiis dignantur, ad domos admittunt; nec à plebeis hoc tantum defertur honoris, sed etiam à primoribus Ciuitatis. Illud mihi præcipuum mutati animi argumentum, quod nostrorum consilia de rebus salutis non aspernentur, imo quærant avidissimè, sequanturque. Fuit Gedani vir quidam primarius, author fautorque synagogæ Calvinianæ; nunc familiaris nobis factus, ita mutatur, vt nostrorum orationes & colloquia expetat assiduè. Alius porro quidam Catholicus, qui cum hæretica Virgine hac conditione sponsalia contraxerat, vt publicè in templo, hæretico à Ministro copularentur, à nostro Sacerdote admonitus, ferò tandem resipuit, paratus sponsam relinquere penitus, ac Monasterium potius ingredi, quam à Ministro copulari: sponsa videns constantem animum sponsi, à Catholico consentit copulari, quod & factum est, spesque est eam ipsam Ecclesiæ breui nomen daturam. Fuit & alius
quidam

quidam Catholicus, qui copulari ab Hæretico ausus, meritas conscientiaë tulit pœnas, eiusque stimulis actus, peccatum coram tota Ecclesia luerre proposuit, erroremq; fateri, nisi consilio præferuido fuisset consilium salubrius obstaculo, fuit paratus. Magnus in aliis quoque cernitur fructus conuersationis nostræ. Hæresim quadraginta circiter abiurarunt, disponuntur plures. Iuuentus multa, eaque insignis, domum nostram sæpius visitat, plerique animo sunt Catholici: persuasum multis, vt Bransbergam suos mitterent filios, literis pietateque imbuendos; crepantibus Ministris, doctrinam Christianam rudes docentur, Confessiones Communionesque creberrimæ, superioribus annis vix ad festa Paschæ visæ. In Monasteriis circumcirca, collectus insignis fructus, quâ piis exhortationibus, quâ confessionibus, consiliisque procuratus.

R E S I D E N T I A T O - R V N I E N S I S .

SEPTEM è nostris aluit domus nostra hoc Anno, ijs plane, quibus & superiore, occupatos muniis, concione terna, quâ diebus festis, quâ Dominicis auditori data, non infrequenti; Numerus Catholicorum augetur in dies. Ab hæresi viginti absoluti: plures nutantes confirmati. Peccata sacrilegè celata, nostris qui detegerent, fuere prope quinquaginta. In pietatis operibus, eorum qui semel Ecclesiæ nomina dederint, mira elucet constantia: exemplo erit quædam femina, quæ iussa à proprio hero synagogam

gam frequentare hæreticam, citius animam suam verberibus, vulneribusque corpore pelli, quam hoc facere, & templo suo arceri passa fuit. Dedit simile virtutis argumentum altera quædam, quæ verbera grauiâ tulit, potius quam ieiunium consuetum fregit. Alia ab ineunte ætate grauiſſima reticens peccata, ac in periculofum morbum incidens, videt primo terribilem quandam formam hominis, paulo ante vita functi, ſibimet obijci: mox peccata aperit, ſpectroque priuatur, femina quadam miræ pulchritudinis apparente.

RESIDENTIA SANDOMIRIENSIS.

DVM ſolita Societatis munera noſtri hic obeunt quidam diu grauiſſima celans peccata, ſpectris vexatus ad nos venit, ritèque ac integrè in confeſſione à moleſtis (quos ſe videre dicebat) ſerpentibus, & à peccatis eſt liberatus. Fuit qui arbitrariis ieiuniis commiſſa facinora luere elegerat, ſanctæ Pœnitentiæ Sacramento intermiſſo: admonitus viſione quadam, vt aliud iniret conſilium, ſeque potius Sacerdoti ſiſteret, cum diu ſecum fuiſſet luctatus, & iam aquas, iam reſtem, quo ſe præfocaret, meditaretur, repente diuina ope ad ſaniora conſilia rediit, ſeque Sacerdoti ſubmiſit. Primus Regni Princeps Archiepiſcopus Gneſnenſis, vt primum ad eam functionem designatus eſt, impetrata poteſtate à R.P. Prouinciali, vocandi vnum è noſtris tempore ſibi percommo, vt ſpiritualibus exercitiis vacaret, vocauit huius loci ſuperiorem, & per hebdomadas

madas tres continuas, magno desiderio & studio profectus spiritualis, se exercuit. Magnam ea res admirationem, magnam & egregiam comparauit ædificationis, nec non exempli opinionem: imo non pauci reperti prælati, qui idem expetierunt & fecerunt: plerique diligentius se ad Confessionem generalem comparantes, nostrorum opera adiuti. Vident nostram hanc diligentem curam ciues, approbantq; ita, vt nostris à confessionibus vtantur, iuuentque res nostras quotidie: nã & tẽpli supellex, ad ducentos propè florenos aucta est, & Parochus, qui nostrorum semper fuit cupidissimus, nuper cum ordinarij approbatione resignauit nobis officinam, pro lateribus parandis, & vnam piscinulam perpetuis temporibus habendam. Ipsemet Illustris Fundator, situm Collegij futuri, ære proprio florenorum mille comparauit. At ne in his deesset occasio patiendi, excitauit seminator discordiarum quosdam, qui non possunt manifestam auersionem occultare, sugillando vbi possunt Societatem: scilicet nostrum est bona agere, mala pati.

M I S S I O L V C E O - R I E N S I S.

AMPLISSIMA in tres partes, quasi populos, hæc Diœcesis distributa est: quarum prima quæ Volsiniam continet, extendit se ad Kaniow vsque, & Cirkasi, finitima Moschis ac Tartaris propugnacula; habens nobiliorem præ cæteris Ciuitatibus Luceoriam: Altera, Lituaniæ Palatinatû Brestensem complectitur: Tertia tenet Podlachiam,

lachim, quæ, quod ceteris duabus plura templa pluresque Sacerdotes habeat, cogit frequentius Ianouæ, in suo oppido residere Episcopum. Ad hanc Diœcesim anno 1604. nouus iturus Episcopus, Reuerendissimus D. Martinus Szyskowski, duos ex Societate impetrauit sibi comites, partim vt plus utilitatis, per nostrorum operam, suis adferret Diœcesanis: partim vt ipse suum spiritum, quem tum in scholis olim nostris, tû postea in Exercitiis spiritualibus Cracouiæ acceperat, ex hac conuersatione nostrorum foueret, conseruaretq;. Iter hoc, Cracouia egressus, à peregrinationibus instituit, auxilium sibi à Virgine Deipara, eiusque Filio suppliciter implorans. Postea ad Sanctorum patrocinium sese conuertit, cœpitque nō solum ante cœnam, litanias communes recitare cum suis, quos campanæ sono conuocat, verum etiam singulis mensibus, cum iisdem facit Sanctorum electionem per sortem, quam huc vsque non sine fructu suo, ac suorum continuat: siquidem aliquoties hic voluit vnū e nostris, de peculiari Sanctorum veneratione, prius verba facere, quam ipsorum nominum traderentur illis chartulæ. Quartis feriis, ex quo factus est Episcopus, abstinet à carnibus, iuxta veterem piorum consuetudinem, siue domi tum fuerit, siue foris, aut in itinere existat; nec easdem suis, eo die apponi permittit.

Eo salutis animarum zelo ardet, vt perspecta bene utilitate, quam populo ex doctrina Christiana prouenit, ipse eius capita, ex Bellarmini Catechismo Italico in latinam, ac postea in linguam Polonicam verterit; quem Catechismum, non solum Principi octenni,
Serenissi-

Serenissimi Regis filio dedicauit, sed etiam per vniuersam Diœcesim, misso edicto, ab omnibus Parochis doceri in Ecclesiis curat; adnitentibus in eam curam nostræ Societatis hominibus, pro instituti sui ratione. Aderat eius exercitationi non semel ipsemet cum suis; vt rem populo commendaret; accurrebant nonnunquam viri primarij ac Prælati; quinetiam Metropolitanus Ruthenorum, dum essemus Brestæ, absente Episcopo interesse cum suis Popis voluit, ac studium apprimè collaudare. Et ne cuiuspiam è suis Sacerdotibus, aut Parochis in posterum hæc doctrinæ Christianæ explicatio difficilior, aut onerosior videretur, curauit idem Reuerendissimus, maxime pro simplicioribus, qui eam tradituri sunt, breues materiæ conuenientes, conscribi separatim Catecheses, atque ipsum Catechismum, signis in eo notatis, denuo recudi.

M A G N O nititur conatu, Ruthenorum, qui Græcæ sunt Religionis, cum Ecclesia Romana vnionem, cui quidam potentes contradicunt, promouere: quam ob rem cum Metropolitano ipsorum, & cum Vladica Luceoriensi, qui eius fuere auctores, sapius collatis rationibus, & ipse in eorum templis aliquando celebrauit, & in suis eisdem celebrare permisit. Cum vero ingrederetur Luceoriam, quæ eius Cathedralis sedes est, non solum ab Episcopo Ruthenorum, qui Vladica dicitur, fuit honoris causa ad tria millia comitatus: verum etiam Popi, seu Sacerdotes ipsius, sacris induti vestibus, singuli crucem inauratam gestantes, obuiam ipsi extra portam processerunt, ipsumque vnà cum Clero nostro, vsque ad Cathedralem, perhonorificè deduxerunt: quod

quod omnibus magnæ fuit & consolatori, & ædificationi, siquidem nulli vnquam Episcoporum talem esse delatum honorem in memoria est. Singularem prosequitur amore omnes Religiosorum familias, nostram autem imprimis Societatem, pro qua, sicut olim Canonicus existens, contra maleuolorum calumnias plurimas, luculenta edita oratione decertauit, ita & in itinere, quo ad suam hanc veniebat Diocesim, studiosè pro eadem laborauit; quasdam componens controuersias, quæ nostro intercesserant Collegio cum quibusdam Religiosis, ob sinistras quorundam delationes ac sermones.

AT postquam melius adinaduertit desolatione desolatam esse terram Volsiniensem, quæ cum scholas Hæreticorum ac Schismaticorum habeat, nullam fere Catholicam; & pro tanta vastitate sua, paucos admodum Sacerdotes, ac pauciores multo operarios: seriò, ac grauibus verbis venerabili Capitulo suo proposuit, de Societate IESV Luceoriam introducenda. Indicarunt ergo ipsimet Prælati bono Episcopo modum, & rationem fundandi, atque ædificandi Collegium, partim ex bonis, quæ pro ædificando Seminario iam fuerant assignata quondam; partim alia quædam adiicientes; vsûmque Ecclesiæ suæ Cathedralis vltro, & Episcopalis habitacionis nobis, dum ædificatur Collegium, offerentes.

IAM veto qui cum ipso mansimus, in propria nostræ Societatis munia pro viribus incubuimus; fuerunt nobis occasiones laboris tum alia, tum orationes quadraginta horarum, quæ tribus in locis habitæ sunt, Reuerendissimo præsentente frequentes,

quentes Rutheni aliquot, & Hæretici, Ecclesiæ reconciliati sunt. E quibus matrona quædam nobilis, minoris ducens amorem matris, salutis suæ ratione, Græco schismate abiecto, ad Patrem Societatis accurrit; & postquam conscientiam suam ei aperuisset, instructa, ciboque cœlesti, re-
fecta, in fidei vnitæte est confirmata. Fecerunt & nouum quid, atque Luceoriæ nunquam vi-
sum non pauci, qui biduo, quo orationes qua-
draginta horarum peragebantur, ad vesperam
cum processione in templum venientes, acriter
diuque se flagris verberarunt, tū pro suis peccatis,
tum ad impetrandam à Deo gratiam nouo Præ-
fuli, vltro hanc pœnam sibi assumentes. Nec de-
fuimus Ruthenis, in quorum Ecclesijs, rogatu
ipsorum, habuimus subinde conciones. Audie-
bantur hæ cum summa populi attentione & si-
lento; adeo vt quidam vir primarius, quodam
in loco celebri, nostrum Concionatorem in ma-
xima hominum frequentia audiens, dixerit, nun-
quam se tantum, tali in loco, obseruasse audi-
torum silentium; altero subiiciente, gratum sibi
fuisse, si in longum protraxisset sermonem.



V I C E - P R O V I N C I A L I T H V A N I Æ.

N V M E R V S nostrorum in hac Vice-Pro-
uincia, est vnus & triginta, supra ducentos,
è quibus Sacerdotes octoginta tres, & ex his
Magistri quindecim; inferiorum autem schola-
rum